

Kern 253 (1-20)

5

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
AQVARVM MINERALIVM  
MEDICATARVM  
NATVRA ET VSV

---

QVAM  
ILLVSTRIS AC GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVCTORITATE ET, CONSENSV

PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
ET CHIRVURGIAE

ET  
SVMMIS IN MEDICINA ET CHIRVURGIA  
HONORIBVS  
RITE IMPETRANDIS

DIE XXXI. MAII MDCCCXXII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

BENIAMIN GOTTLIEB SCHALLER

SILESIVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS FRIDER. AVG. GRVNERT.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

82

AD ACADEMIAM MEDICAM  
NATURALIA ET VETERINARIA

INSTITUTIO AB ACADEMIA MEDICA  
PROMOTAE ET CONFERVAE

GRADU DOCTORIS MEDICINAE  
ET CHIRURGIAE

EXAMINIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA

ET IN ANATOMIA

BENJAMIN GOTTLIEB SCHALLER

ILLVSTRISSIMO

ET

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D O M I N O

GOTTLOB. IOAN. LVDEVICO

S. R. I. COMITI

DE H O C H B E R G

BARONI IN FÜRSTENSTEIN

DYNASTAE IN ROHNSTOCK, KITTLIZTREBEN

FÜRSTENSTEIN ET FRIEDLAND

DOMINO HEREDITARIO IN WERNERSDORFF

TSCHECHEN, PVSCHKAV, GRVNAV,

TAEZDORFF, GIRLACHSDORFF, MAERZDORFF

ET NIEDER-POLKAV

CET. CET.



HOC  
SPECIMEN ACADEMICVM  
SVMMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE  
MONVMENTVM  
SACRV M ESSE CVPIT

DE HOCHBERG

IN ERSTENSTEIN

IN DER STADT WÜRZBURG

IN DER UNIVERSITÄT

DOMINO HERRITARIO IN WÜRZBURG

RECHTEN FÜRSTEN

IN DER UNIVERSITÄT

ET HERRITARIO

BENIAMIN GOTTLIEB SCHALLER.



## PRAEFATIO.



Natura nobis praebet corpus quod-  
dam fluidum, pellucidum, certo  
frigoris gradu congelascens, quod  
sub nomine aquae venit, et cuius necessitas ad  
hominis vitam tanta est, ut illo carere nemo  
queat. Quis vivere potest, sine sanguinis fluidi-

A

tate?



tate? Quomodo nutritio peragi possit, ni sanguis per vasa minima ad partes corporis extremas veniret, et partes nutritibiles ibidem deponeret? Id, quod certam fluiditatem humorum supponit, quae tantum aqua conseruatur, utpote quae omnium fluidorum constituit basin, et ipsis in solidioribus nutrimentorum partibus non deest. Aqua rarissime, et fortasse numquam, pura in natura existit, sed illam, praeter partes suas constitutivas, pluribus aliis corporibus peregrinis impraegnatam, semper inuenimus, quae cum illa varias proprietates communicant. De partibus aquarum mineralium constitutivis, earumdemque usu medico interno hoc in specimine differere, praecipue quidem constitui, antea autem quaedam de aqua sic dicta pura s. simplici praemittam.

¶

△

SECTIO



SECTIO I.

DE

AQVA SIMPLICI.

§. I.

**A**qua simplex, sub qua comprehendimus aquam, cui partes peregrinae exigua in quantitate insunt; quae tanta gaudent subtilitate, vt nostris sensibus vix percipi queant, siue tepida, siue frigida, in<sup>o</sup>-er externe ad vsum medicum adhibetur. Aqua tepida sistit optimum resoluens, meritoque pro medicina vniuersali habetur, quae sine indiuidui ratione, in morbis tam acutis, quam chronicis, tantas praestat virtutes, quantas medicamentis aliis deprehendere vix possumus. Circulat enim ob subtilitatem suam per vasa minima, vertiturque ad partes corporis extremas, penetrat in interstitia corporis illic stagnantis, minuit cohaesionem, et spissitudinis correctionem affert. Quare HIPPOCRATES aquam mulsam in morbis acutis, vt remedii summum, ad humorum spissitudinem attenuandam commendauit. Nonnumquam quidem aqua pura, grauioribus obstructionibus soluendis non sufficit, quo in casu tamen, illa vehiculum praebet, quo efficaciora soluentia vires suas exferere possint; decantata enim resoluentia sine vehiculo sufficienti minime agunt, sed vires aquae purae illis tantum augentur. Effectus vero resoluentes suos, non vsu

A 2

solum



solum interno, sed etiam externo, exercet. Corpus totum nostrum ab internis ad externa, et ab externis ad interna, spirat, ut ergo aquosis, corporis superficiei quocumque modo applicatis, ingens aquae quantitas resorberi, spissorumque humorum resolutio conciliari possit, quod experientia testatur; in lue venerea enim balnea aquae simplicis tepida, veteres, et recentiores iam usi sunt, et in tumoribus inflammationibusque phlegmonoidis externis fomentationes et cataplasmata adhibentur, in quibus aqua praecipue agit. Aqua, in vapores resoluta, constituit remedium perquam penetrabile, quo corpora, maxime ficca, emolliantur, et vapores, ad corpus nostrum admissi, solida relaxant, et homo, illis ad tempus expositus, sudore fere diffluit; quam ob causam CELSVS, vaporum usum celebravit, ubi cutim relaxare, et humores corruptos per sudorem euacuare cupimus.

§. II.

Humores nostri propter perpetuum motum, facile resoluuntur, et calefcunt, quod praecauetur aquosis, quae partes acres demulcent, et per varia corporis colatoria euacuant. Aqua pura enim ita est blanda, ut acerrimum oleum vitrioli, in sufficiente aqua dilutum, plane innocue oculo instillari possit; hinc inde aestiuo tempore, aquosa largiter hauriuntur, cum humores calefcientes ad sitim stimulent, et ipsi ex febre, praecipue biliosa,

liosa, aegrotantes, aquam omnibus aliis potulentis praefere-  
rent, quae illis, secundum SYDENHAMVM, conce-  
denda est.

§. III.

Cum aqua tepida solidorum tensionem mitiget, et  
acres humores demulceat, et euacuet, in- et externe an-  
tispasticum sistit. Optime ergo potulenta, aut balnea  
aquae purae in doloribus colicis, ex quacumque causa  
ortis, conducunt, quod CELSVS iam probauit, et vul-  
go in variolarum retrogressu balnea tepida commendan-  
tur, quo spasmi in externis soluantur, humores ad ex-  
terna deriuantur, multaque saepe letalia mala auertun-  
tur. Ob vim eorum relaxantem balneis successu  
optimo utimur, ubi humores a capite, aliaue parte re-  
vellere, et ad aliam deriuare volumus, vt in phrenitide,  
mania, fluxus menstrui defectu etc. Omnes hos effe-  
ctus enemata etiam praestant, quae quoad interna, bal-  
neorum instar, agunt.

§. IV.

Quamuis aqua simplex hos, haecenus recensitos, ef-  
fectus exferat, si tepida applicatur, aqua tamen frigida  
illis non est destituta. Aqua frigida, ad corpus applica-  
ta, subito vasa cutanea constringit, humores ad interna  
reprimat, cordis arteriarumque actionem auget, et fe-

brim artificialem producit, qua natura ad spissos humores soluendos semper vtitur. Non pauci vero morbi a lentore humorum pendent, qui diminuto vasorum elatere determinatur; aqua frigida vero vasorum actionem promouet, humores spissos resoluit, et morbos, inde ortos, tollit. Vim suam temperantem, et demulcentem, veteres iam agnouerunt, et HIPPOCRATES illam vt optimum remedium in febris ardentibus commendauit, cui GALENVS adsentit, qui in febris ardentibus, et putridis, aquam frigidam maximopere celebravit; et CELSVS et ARETAEVS illi in morbis gastricis et biliosis magnas laudes attribuerunt, quamobrem aegris, siti febrili vexatis, secundum SYDENHAMVM, modicus aquae frigidae vsus permitti potest, quia aestus temperatur, aeger quietior redditur, et vires refocillantur. Vis sua roborans patet, experientia enim docet, quod haemorrhagiae aqua frigida sistantur, et HOFFMANNVS eius effectum roborantem in haemoptysi laudauit. Plures quidem obseruationes contra aquam frigidam, inprimis in sistendo haemoptysi obstant, quae virtutibus eius non abrogant, sed tantum probant, abusus, minime vero legitimum usum, nocuisse. In haemorrhoidibus mucosis, aut sanguineis, nimis fluentibus, nec non in diarrhoea, ab intestinorum debilitate diuturna, roborantis instar agit, et in herniis incarceratis initio sistit remedium non vanum; inprimis, si incarceratio

a fla-



a flatibus in diuerticulo elapsi intestini rarefactis pendet, nisi fortasse iam adfit intestini elapsi cum annulo concretio. Balnea apud frigidae praecipua vi roborante gaudent, et HIPPOCRATES et SWIETENIVS illis vsi sunt, in epilepsia, et conuulsionibus, ex debilitate ortis. Aeger vero, qui e balneis frigidis roborantem effectum expectat, aliquot tantum momenta in illis commoretur, cum alias vasorum constrictio, frigore producta, cordis actione aucta, superaretur, et vasa magis adhuc relaxarentur. In paralyfi eorum vsus non est contemnendus, sed subitanea aquae frigidae irritatio illum nonnumquam sanauit, inprimis hoc praestat balneum sic dictum stillicidium, nisi paralyfis a causa irresolubili pendeat. Demum vero vt antispasticum agit, quod saepe, neque a vi roborante, neque demulcente, sed tantum a stimulo, quem aqua frigida excitat, pendet; nonnulla enim subiecta, praeteritis animi pathematibus pauxillum aquae frigidae bibunt, et auertunt varia incommoda.

Multos alios effectus aquae purae tam frigidae, quam tepidae, silentio alto praetereo, quia eos fusius explicare, limites huius dissertationis excederet, et plures alii, ex his adductis iam patent, sed me conuertam ad aquas minerales.

SECTIO





SECTIO II.  
DE  
PARTIBVS AQVARVM MINERALIVM  
CONSTITVTIVIS IN GENERE.

§. V.

**T**erra nostra corporibus naturalibus scater, quæ cum aqua, in vicinitate mineræ cuiusdam scaturiente, aut supra illam fluente, proprietates suas ex parte communicant. Aquæ, particulis mineralibus imprægnatæ, dicuntur aquæ minerales, et in medicatas s. acidulas, et thermas diuidi solent. Non attingam corpora, aquis mineralibus nonnumquam arte, aut casu, admixta, sed illa tantum enucleabo, quæ naturalem constituunt imprægnationem, et quæ ad quinque classes reduci possunt: I. corpora salina; II. inflammabilia; III. metallica; IV. terrea; V. aërea. In disquisitione corporum, aquas minerales constituentium, respiciam ad statum simplicem; compositum; et diagnosin. Cum salia iam formata sinus terræ nobis exhibeat, dubitandum non est, salia imprægnationem aquarum mineralium præbere; et experientia testatur, nullam fere aquam particulis salinis penitus destitutam esse, quia omnis aqua, inprimis mineralis, sapore vt plurimum falsiusculo gaudet. Salia ista secundum Materiam medicam in acida, et alcalina, et ex amobus mixta, dirimuntur. Acidi vitriolici diffusio per totam fere terram, facilis mistio cum aqua, non leue fistit

fifit argumentum, aquas minerales illo impraegnari poffe, de qua re eo minus dubitandum, cum aquae minerales dentur, quae tam large illud ducunt, vt fapore eius praefentia iam agnofcatur, et nonnullae aquae minerales praecipitant folutiones, cum alcali factas, tingunt fyrupum vegetabilium caeruleum rubrum, quae omnia acidi proprietates funt. De aliis acidi fpeciebus nihil dicam, quia in ftatu fimplici numquam, fed femper in combinatione cum aliis falibus apparent. Aliam aquarum mineralium impraegnationem fifunt falia alcalina, quae in fixa, et volatilia, priora vero in vegetabilia, et mineralia, diuiduntur. Sal alcali minerale vero tantum pro corpore, impraegnationem naturalem producendo pare, haberi potefl. Aqua, illo impraegnata, cum acidis effervefcit, fyruporum colorem caeruleum in viridem mutat, et ferri, in acido foluti, praecipitationem infert. De impraegnatione naturali aquarum mineralium cum alcali volatili in ftatu fimplici plura adhuc pro et contra difputantur. Ex combinatione falis alcali cum acido enafcuntur falia, fic dicta, media, quae combinatio intra terram nonnumquam etiam accidit, et fale communi probatur, et, vt nonnulli volunt, fal quoddam Glauberi aquis mineralibus inefl, quod ex alcali fixo, et acido vitriolico conflatum.



## §. VI.

Aquae minerales a duobus corporibus ex classe inflammabilium naturaliter impraegnari possunt. I. ab oleo minerale, II. a sulphure. Oleum minerale, quod oleum petrae nuncupatur, nonnumquam purum aquae supernatans, nudis oculis detegi potest; alias vero aquae, illum ducentes, sensationem acrem, et perquam penetrabilem olfactui et gustui, imprimunt. Nemo vero dubitabit, quin sulphur aquis mineralibus naturaliter inesse possit, cum multae minerae illum, quamvis ex parte impurum, contineant, et sedimentum sulphureum, quod nonnullae aquae minerales deponunt, eius praesentiam indicat, id quod sapore, odore, et inflammabilitate, aquarum, illo impraegnatarum, adhuc firmatur. Sulphur autem cum aliis corporibus combinari potest, et constituit tunc corpus, quod hepar sulphuris nuncupatur; et oleum petrae non raro cum alcali minerali in massam saponiformem abit. Inveniendae autem sulphuris et hepatis sulphuris praesentiae tuto inseruit solutio cupri, in alcali fixo dissoluti, aëre fixo impraegnata, cyaneo colore in viridem conuerso, et rubro-fusca nubecula desidente \*).

## §. VII.

\* Cf. Cel. WINTERL apud Cl. OESTERREICHER anal. aquar. Budenf. p. 51.





## §. VII.

Corpora quaedam metallica, quae terra nostra te-  
git, intermedio corporis terrii, in aquis mineralibus na-  
turaliter solui possunt, et constituunt itaque naturalem  
illarum impraegnationem. Omnium vero ferrum; et  
cuprum in illis solui, maxime prona sunt, quod de fer-  
ro inprimis valet. Minera ferrea enim, per totam fere  
terram diffusa, soluentis accessu, s. acidi vitriolici, s.  
aëris fixi, facile soluitur, et cum aquis mineralibus pro-  
prietates suas communicat. Aquae martiales etiam om-  
nium frequentissimae sunt, partim ob ferri abundantiam,  
in terra latitantis, partim ob eius tam facilem solutionem  
in acidis. Aquae martiales, recenter ex fonte haustae,  
addito gallorum querci decocto, aliorumue vegetabilium  
adstringentium, nigrescunt, et ab admisto alcali colo-  
rem rubrum induunt, in linguam vim adstringentem  
exercent, et ochram s. per se, s. addita aluminis solutio-  
ne, praecipitant. Ferri criterium autem praestantissimum  
sistit lixiuium sanguinis, si ferro, in satis copioso acido  
soluto, occurrit, et praecipitatum, eleganter caeruleum,  
sistit. Sed ferrum adest vel aëratum, vel vitriolatum,  
nonnunquam forte salitum. Cuprum ferro quidem ra-  
rius aquas minerales natura impraegnat, quamuis acido  
tam facile soluat; quod inde pendere videtur, quia  
cuprum, in aqua solutum, ferro praecipitatur, et cuprum  
rarissime sine combinatione cum aliis mineralibus obser-  
vatur.



vatur. Si cuprum autem, quamquam exigua in quantitate aquis mineralibus inest, gustu iam exploratur; plumbum, in illas immixtum, particulis cupreis obducitur, et aqua alcali volatili illico turbatur.

### §. VIII.

Particulae terreae s. in statu simplici, s. cum aliis iunctae, aquis mineralibus inesse, et natura illas impraegnare possunt. Terram calcaream vero solum in statu simplici aquis mineralibus immixta comprehendimus, quae aëri fixo praecipitari potest. Aliis partibus terreis in statu composito aquae minerales non sunt priuatae, post euaporationem enim plurium aquarum mineralium remanet terra quaedam calcarea, cum acido vitriolico mixta, lamellas plus minusue splendentes referens, quae selenites salutarur; nec minus non infrequens corpus salino-terrestre, ex acido vitriolico et terra salis amari conflatum, quod sal Glauberi spurium dicitur. Terra quaedam aluminosa, quae intra terram latet, cum acido vitriolico corpus aluminosum constituit, et sub hac forma illam nonnumquam in aquis mineralibus inuenimus, quo aquae saporem acerbum induunt, lac coagulant, et cum syrups vegetabilium colorem rubrum communicant. Inter terras etiam magnesia recensenda est, quae nonnullis aquis medicatis larga inest copia, vel aërata, vel

vel vitriolata, nitrata aut salita, et per tartarum solubilem bene detegitur <sup>b)</sup>).

§. IX.

Aër dein constituit quintam classem corporum, aquas minerales impraegnantium. Aër iste est triplex, I. aër communis, II. aër phlogisticus, III. aër fixus. Dubitari quidem non potest, quin aër communis aquis mineralibus infit, cum ille ut fluidum vniuersale in omnes terrae cauernas penetret, omnibusque fluidis adhaereat; et aqua communis secundum principia physica illum tam largiter ducit, et cum illo intime est mixta, ut ebulliendo etiam illo non penitus liberari possit. Aëri phlogistico nec minus aquae minerales impraegnantur, quia ille sub terra abundat; in fodinis enim aliisque cavernis subterraneis euaporationes non raro per se inflammantur. Quamquam aër iste cum aëri fixo nunquam confunditur, ab hoc tamen valde differt, quia ille neque ferrum soluit, neque aquam calcis praecipitat, quae hoc praestant. Praecipua attentione autem aër fixus dignus est, qui fluidum aëreum, sub efferuescentia alcali cum acido euolutum, sistit, et quod in aquis mineralibus plus minusue abundat, et cui vires aquarum mineralium ex parte attribui debent. Aqua mineralis enim,

B 3

recen-

b) Cf. WINTERL I. c. p. 107.

recenter ex fonte hausta, spumescit, saporem penetrabilem exferit, infert hilaritatem, quos effectus aqua, aëri libero longius exposita, siue plane emittit, siue saltem minori in gradu exercet. His constat, effectus aquarum mineralium ex parte a corpore volatili c) pendere, quod nos aërem fixum vocamus, qui ab aëri communi facillime attrahitur, cum illo miscetur, vt inde aquae minerales debilitentur. Aër fixus combinatione acidi cum alcali in aquis mineralibus euoluitur, et probabiliter solutioni ferri in aquis mineralibus inseruit, cum aquae martiales, aëri libero expositae, vires suas adstringentes amittant, et ochram deponant. Cum aër fixus, extra aquas minerales adhibitus, in multis morbis vt remedium perquam salutare se probauerit, de eius vsu praeter aquas minerales quaedam commemorari, non superfluum esse, censéo.

## §. X.

Aër fixus, a veteribus gas mephticum s. acidum aëris dictus, ex efferuescentia alcali cuiuscunque cum acido s. minerali, s. vegetabili, vt supra iam notatum, aut fermentatione praeparatus, in et externe adhibetur. Ad vsum internum variae adsunt methodi. Alii illo, aquae communi admisto, vtuntur, quatenus cretam, in  
 aqua

c) SWIET. Comm. T. III. p. 345.

aqua solvunt, hancce solutionem acido vitriolico saturant, aut vas, aqua plenum, supra materiem fermentescentem suspendunt. Alii terrae calcareae admisceant tantum succi citri, quantum ad saturationem sufficit et sub effervescentiae actu haurire commendant. Alii decoctum polentae, aut alia in ventriculo facile fermentescibilia, consulunt, quia haec aëre fixo scatent. Externe vero aër fixus adplicatur, si pars corporis ita locatur, ut aër fixus, sub effervescentia cretae cum acido evolutus, ad illam penetret; aut, si hoc fieri nequit, ille certa hunc ad usum adaptata machina illuc derivatur, aut atmosphaera valerudinarii illo impraegnatur, ut illa aegrum ambeat, et continuo inspirari possit.

Aër fixus, in- et externe adhibitus, antispasticum sistit, quod in singultu et vomitu a VOGELIO, et SELLE probatum est, et BOERHAAVE his in affectibus potiuscula medica usus est, ex sale absynthii, succo citri, et vino rhenano compositum, in quo aër fixus praecipue agit. Propter vim suam antisepticam, quam BOYLE praedidit, ad ulcera putrida, et partem, sphacelo affectam, cum emolumento admittitur; PRINGLE enim experimentis multis ostendit, foetorem carnis putridae illo corrigi et PRIESTLEY illum in febris putridis in anum iniecit cum effectu bono; quamobrem decoctum polentae in scorbuto cum maximo successu adhibe-



hibetur, et Angli in itineribus septentrionalibus, illo ad praeservandum et curandum scorbutum vtuntur, et probabile videtur, vim vegetabilium recentium antisepticam ab aëre fixo vnice pendere, Aqua selterana etiam, medicamentum in scorbuto decantatum, nihil aliud est, nisi aqua, quae, praeter aërem fixum, particulas salinas adhuc tantum ducit. Aër fixus constituit haemagogum, et in tympanite ob referatas haemorrhoides optime succedit, et fluxum menstruum restituit. In affectibus calculosis vires lithonripticas exercet, quod FALKONER experimentis illustravit, quocum SELLE consentit, et HOFFMANNVS ad eundem vsum aquam spadanam celebravit, quae ingentem aëris fixi quantitatem in sinu suo fouet. In solidorum laxitate, pluribusque aliis inde pendentibus morbis, perquam fuit proficiuus, quapropter, in cachexia, et phthisi pituitosa eius vsus laudatur; auget enim ob vim suam roborantem vaporum elaterem, resoluit humorum lentorem, euacuat particulas acres, et corrigit hinc inde humores. Vim suam corrigentem saepe ostendit in soda, sub forma mixturae alterantis RIVERII, et nuperrime obseruationibus probatum fuit, illum in vlceribus phagedaenicis bene successisse, et in carcinomate praestitisse curationem palliativam.

SECTIO

## SECTIO III.

DE

VSV AQVARVM MINERALIVM  
INTERNO, IN GENERE.

## §. XI.

Nunc me accingo, vires aquarum mineralium medicas exponere, breuiterque morbos indicare, quorum auxilium earum vsus internus sistit. Cum particulae aquarum mineralium constitutivae tam diuersae naturae sint, quod in antecedentibus notatum, illas etiam aliam, aliamque operationem praestituras esse, certum est. Generales ideoque effectus sistam, et subiungam morbos, qui qualibet earum virtute curari possunt. Quamquam vires aquarum mineralium separatim proponam, vna eademque tamen aqua pluribus morbis mederi potest, quia plures particulae diuersae indolis in fontibus mineralibus plerumque simul adsunt. Aëri fixo, qui in omnibus aquis mineralibus plus minusue adest, varii effectus sunt adscribendi, quod SWIETENIVS affirmat, et, aquae minerales, recenter haustae, attollunt pulsum, illum frequentiore reddunt, et subitanam virium refocillationem creant, quae phaenomena minus observantur, si aqua transportatur. Considerandus etiam aër, purus BERGMANNO dictus, dephlogisticatus PRIESTLEYO, ignis aër SCHEELIO, aër SCHEELII Cel.

C

WIN.



WINTERL <sup>d)</sup>, cuius in aquis medicatis praesentiae detegendae inferuit vitriolum <sup>e)</sup>. Aër etiam vitriolicus, qui aquis inest, detegitur virtute, praecipitandi hepar sulphuris, et eripiendi acido nitroso plumbum. Aër putridus, a fixo per breuem et fortem ebullitionem denudatus, nascitur odoratu, odore empyreumatico <sup>f)</sup>.

Aër antizymiacus, seu fermentationes cohibens, acerrime pungente stimulo nares feriens, sternutationem, lacrimas, mouens, violarum syrupo breui temporis ruborem conciliat, et cum terris aut metallis combinatus in gramineum constantem colorem mutat, et solutionem argenti alcalinam, adhibita digestionem calida, in subtilissimum pollen praecipitat <sup>g)</sup>.

Aër demum hepaticus <sup>h)</sup> proprio foetore agnoscitur. Adest nonnumquam simul cum aëre fixo libero, et extra aquam ab aëre puro decomponitur. Et hepaticum quidem vaporosam formam facile tuetur, vnde amplissimus oritur contactus fucus, mediante quo aër purus arripit phlogiston, in vapore hepatico sulphur cum materia caloris nectens, et hoc demto vinculo sub consueta for-

d) l. c. p. 32.

e) Cf. WINTERL. l. c. p. 38.

f) WINTERL. l. c. p. 69.

g) WINTERL. p. 58 sq.

h) T. BERGMANN op. T. I. p. 116.



forma sulphur prodit: inde ortus sublimati sulphuris ad Aquisgranum, inde vaporis hepatici, immisso alio medio, phlogiston arripiente, cita destructio sulphuris. Ceterum aurichalcum plumbeo, argentum subaureo, tandem in plumbeum inclinante colore obducit. Pro inueniendis criteriis aëris hepatici adhibeantur reagentia phlogisti et sulphuris 1).

### §. XII.

Robur corporis nostri est certa solidorum et fluidorum dispositio; quo compactior solidorum textura est, et quo liberius humores per vasa minima circulant, eo maius est robur, et v. v. Aër fixus §. X. et praecipue particulae martiales, ob vires suas calefacientes, leniterque adstringentes, solidorum actionem in fluida augent, humores densiores reddunt, et vt roborantia agunt; quare aquarum mineralium vsus in multis morbis, s. vniuersalibus s. particularibus, commendatur. Cachexia chlorica, vt plurimum solidorum debilitate determinatur, atque experientia docet, quantos effectus martialia per se in illa iam praestent. Hydrops, s. vniuersalis s. particularis, ex atonia ortus, secundum van swieten <sup>k)</sup> aquis mineralibus optime curatur; et in nausea, anorexia, vomitu et diarrhoea, chronicis, a pituita et organi digestio-

C 2 nis

i) WINTERL I. c. p. 55.

k) SWIETEN Comment., Tom. IV, p. 221.



nis debilitate ortis, effectus saepe mirabiles ostenderunt. Morbis ex aucta irritabilitate illae medentur, augent enim cohaesionem, et minuunt irritabilitatem, hanc ob causam aquae martiales in convulsionibus, epilepsia, malo hypochondriaco et hysterico profunt, et in paralyfi, sudore diurno, diabete, ex debilitate ortis; nec non in gonorrhoea et leucorrhoea, atrophia, et rachitide, roborandi causa adhibitae, sistunt bonos effectus.

### §. XIII.

Particulae sulphureae et salinae alcalinae stimulant, vim s. languentem, s. deficientem motricem excitant, et in therapia excitandi causa adhibentur. Aquae minerales, istis particulis impraegnatae, vim excitantem etiam exercent, unde illae in apoplexia frigida, podagra, arthritide, rheumatismo frigido, et multis aliis morbis, ex causa arthritica, aut podagrica, enatis, summum celebrantur, et in paralyfi, si irresolubilem neruorum compressionem, aut solutionem exceperis, ex quacumque causa orta, optime agunt.

### §. XIV.

Aquae nonnullae minerales, sale et medio, et alcali, impraegnatae sunt, et ad diuresin agunt, quapropter in morbis, in quibus humores aquosi abundant, aut impuritatibus terrestribus inquinati sunt, in affectibus

calcu-

calculosis, pituitosis, aut exulceratione viarum vrinarium, nec non in affectibus hydropicis, scorbuto, gonorrhoea, leucorrhoea benigna, cum successu optimo adhiberi possunt.

§. XV.

Vires resolventes et aluum ducentes aquarum mineralium ex §. ant. adductis partibus constitutiuis patent, inde aquae minerales corpora talia constitutiua ducentes, in humorum spissitudine, et visciditate, atrophia, scrophulis, rachitide, doloribus colicis et tympanite, ob pituitam abundantem, malo hypochondriaco et hysterico, melancholia, ictero ex obstructione, se vt remedium, perquam efficax, ostenderunt.

§. XVI.

Aër fixus, et particulae inflammabiles aquarum mineralium, impulsum humorum ad peripheriam augent, et diaphoreticorum et sudoriferorum instar agunt, diminuendo humores aquosos abundantes, euacuando partes per cutim corruptas, auertendo adfluxum versus interna, et deriuando ad externa, qua re in hydrope, scorbuto, diarrhoea diurna, diabete, rheumatismis, arthritide, doloribus colicis a materia rheumatica, aut podagrica, et affectibus scabiosis, illis cum emolumento vtimur.



## §. XVII.

Aquae minerales multoties quidem spasmos solvunt, quatenus dispositionem ad illos roborando minuunt, et partes acres demulcent, euacuant; alia tamen ex causa in spasms etiam conducunt. Aër enim fixus, vt supra §. X iam dictum, vi antispasctica gaudet, et aquis mineralibus magna eius vis inest, vt ergo illae effectus antispascticos praesent in doloribus colicis, ex materie saturnina, aut podagrica, cholera arthritica, fluxus menstrui, aut haemorrhoidum, a spasms suppressione, in doloribus ventriculi cardialgicis, malo hypochondriaco et hysterico, et asthma hysterico.

## §. XVIII.

Putredo non raro corporis debilitate gignitur, quia ob circulationis languorem particulae nociuae humoresque, ad putredinem disponentes, non euacuantur; aquae autem minerales circulationem f. §. XII. augent et euacuationes restituunt. Praeter hanc vim roborantem et euacuantem, specificam vim antisepticam adhuc possident, quod multis experimentis probatum fuit, et merito aëri fixo attribui debet, quia sine aquis §. X. ille vi antiseptica gaudet.

## §. XIX.

Plures duntaxat aquarum mineralium effectus enumerare possem, in illis tamen subsistam, quia ex his iam

iam patet, quantae vtilitatis vsus earum internus sit, et alii effectus ex antecedentibus facile perspiciuntur. Vis enim emmenagoga, quam aquae minerales exferunt, non est specifica, quia fluxus menstruus, et haemorrhoides, modo spasms, modo humorum spissitudine, visciditate, modo solidorum debilitate supprimi, et curatione, iisdem affectibus opposita, restitui possunt.

SECTIO IV.

GENERALIA QVAEDAM, SVB VSV  
AQVARVM MINERALIVM OBSERVANDA.

§. XX.

**A**quarum mineralium vsus, olim admodum restrictus, in abusum varia ratione abiit, dum et adhibentur eae, quae vires, quas desideras, non habent, et vsurpantur in corporibus, quibus vel prorsus non conueniunt aquae minerales, vel eo tempore saltem non conueniunt. Itaque mirari non possumus, qui fiat, ut sint, qui eius vsum vel omnino reiiciant, vel timide adhibeant. Iam dudum autem Cl. Viri, atque hos inter praecipue FR. HOFFMANNVS, ut vires medicas aquarum disquisuerunt, indeque, vbi adhibendae essent, stabiliuerunt, ita quoque cautelas memoriae prodiderunt, sub quibus essent vsurpandae, vnde factum est, ut tum de tempore anni, quo potissimum vsurpandae essent, tum de ratione, varia definirent, quae vero iterum

rum praedudicatas peperunt opiniones, ut operae premium videatur, de his quaedam differere.

§. XXI.

Quasi in legem cessit, cui omnino obtemperandum esset, aquis mineralibus vere atque aestate utendum esse. Non negauerim, multas omnino subesse rationes, quae tale quid omnino praecipiant. Hiems enim ceterum sanorum etiam corpora succis inertibus, pituitae bilisque maiori copia, repleuit, quae commode euacuantur curatione per aquas minerales. Ver etiam multos phthificos, cacochymicos sistit, quibus opitulari credis usum aquarum mineralium. Et tempus anni facit, ut motus muscularis in aëre libero magis exerceri, animus exhilarari recentibus naturae productis, indeque confluentis ad fontes hominum omnis generis multitudinis sermonibus et confabulationibus. Quae quidem faciunt, ut usus aquarum multiplici ratione adiuuetur ea ratione, quae neque aëstumno, neque hieme, facile obtinetur. Nihil tamen minus non est, quod inde lex eruatur, aquas minerales alio tempore minus, aut prorsus non, adhibendas esse. Certe enim neque aëstumnus, neque hiems, obstant, quo minus aquis mineralibus utaris, ubi ceterum indicatae sunt, et aequè bonum, atque alio anni tempore, utilitatem percipies, modo, quae usum aquarum adiuuant, eo tempore, quantum licet, adhibueris, quorsum neglectus

glectus vitae generis consueti forte detrimentosi, animi exhilaratio per confabulationes, exercitium corporis.

§. XXII.

Quod copiam vsurpandae aquae mineralis attinet, perquam ridiculus mos obtinuit, et definire in vniuersum, quantum per certum tempus adsumi queat, vnde distingui solet *curatio maior, media, minor* (die grosse, mittlere, kleine Kur) et quantum quoquo die adsumi debeat, quod per lagenas definitur, dum quisque fere tenetur, omnem lagenae copiam bibere quotidie. Non est certe, quod multis ostendam, si in vniversum res definienda, longe iusto maiorem copiam solere hauriri, si lagena tota exhauritur, dum non tam copia, varia ratione nocitura, vires exercentur, quam indole aquae mineralis et saepe sufficere tertiam quartamue partem. Non est, quod multis comprobem, non vniam omnibus conuenire copiam, dum nec quisque tantam, quantam alius, in primis mane, fluidi copiam absque detrimento haurire potest, nec in quoquo eadem indicatio resolvendi, roborandiue rel. obtinet, atque in alio. Quare vt secundum subiecta copia varie definienda est, quae quotidie adsumenda est, ita etiam varie statuendum, quanta copia in vniuersum hauriri debeat.

D

§. XXIII.



## §. XXIII.

Pari quoque ratione in vniuersum definiri nequit, ante vsum aquarum mineralium sanguinem esse mittendum, aut cathartica initio et in decursu esse adhibenda. Sed tum subiectorum conditio, tum medelae finis hic praecipiant, num initio, an deinde, et quantum, et quoties, vel phlebotomia, vel catharsis admittenda sint. Quare, si modo dictas praeiudicatas opiniones miseris, et ratione dicta definiueris, videbis, longe maiorem vtilitatem aegrotos ex vfu aquarum mineralium esse percepturos, quam si haec neglexeris. Nec fiet, vt laude, quam consecutae sunt hae illae aquae minerales in tollendis mitigandisque his illis morbis, indignae iudicentur, quum defectus felicitis, quam exspectabas, euentus rebus, quae obuenerint, aliis neglectis potius tribuendus sit.



LIBR. 2


D




W 7 P

PICA





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
 DE  
 AQVARVM MINERALIVM  
 MEDICATARVM  
 NATVRA ET VSV



QVAM

ILLVSTRIS AC GRATI  
 AVCTORITAT

GRADV DOCTO  
 ET CHI

SVMMIS IN MEDIC  
 HON

RITE IM

DIE XXXI. MA

PVBLCI

A

BENIAMIN GOT  
 S I D

HALAE M

TYPIS FRIDE

